



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

XI. Securitas fiduciam sequitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

qui non hominis unius fortunam vehis,
sed ab ipsa Dei tui providentia veheris,
& in ejus gloriæ rate, velut in Noëmi arca,
navigas ?

XI. Ex generosissimis magnanimi
Securitas
fiduciam
sequitur. Apostoli vocibus hæc una est,
ad Philip. cap. 4. *Scio humiliari,*
scio & abundare: ubique & in omnibus insti-
tutus sum, & satiari, & esuriri, & abundare,
& penuriam pati. Tantæ æquanimittatis &
tranquillitatis, per tam varios eventus,
caussa est, quia *omnia possum in eo, qui me*
confortat. Ei me permitto, ei fido, in eum
me projicio, qui nunquam derelinquit
sperantes in se, nec se subtrahit inniten-
tibus sibi. Christus posteaquam Aposto-
lis dixit, *Non turbetur cor vestrum, neque*
formidet: audistis, inquit, quia dixi vobis,
vado, & venio ad vos. Quasi diceret: præ-
sentia mea ac protectio vanos vobis om-
nes terrores excutiat: adsum, etsi non
conspiciar; juvo, licet non sentiar; non
discedo, quamvis discessum minari videar.
Eleganter Isaias cap. 7. Regi Juda, Reges
duos Hierosolymæ cum validis copiis im-
minentes.

minentes metuenti, ait: *Vide, ut fileas, noli timere à duabus caudis titionum fumigantium istorum.* Quid omnia sunt huius vitæ terriculamenta, quàm fumosi titiones, uno disflandi spiritu, uno pedis impulsu proterendi, unius guttulæ aspergine extinguendi, cum Deus voluerit? Idcirco idem Vates monuit, ut speremus in Domino Deo forti in perpetuum: nulla nos hora, momentum nullum, fiducia suavisimæ ac fortissimæ providentiæ destitutos inveniat.

XII. *Et sanitas animi.* Fontes duos attigimus beatæ tranquillitatis: primus profluit intrinsecus, alter affluit extrinsecus: ille existit ex desideriorum moderatione ad regulam divinæ voluntatis: hic oritur ex fiducia protectionis divinæ, quæ hominibus, sese Deo permittentibus, deesse non potest. Siracides, Eccl. c. 30. dicebat, *Non est census super censum salutis corporis, & non est oblectamentum super cordis gaudium.* Sanitate corporis bonum inter corporea majus nullum est. *Valdè vellet, inquit Augustinus Serm. 12. dives le-*
cturus.